

/ R/me et Illust/me Dñe Cardinalis.

Accepi cum debita observantia, quas Illust/ma D.V. 15. Julii ad me dedit. Consilium illud, quod suggerit, saluberrimum sine dubio est. Sed hoc ipsum sacratissimo Imperatori non deerat. Nec pro eo
5 exquirenda Romam scribendum fuit. Nam Imperator statim ab initio promisit Austriacis, si homagium praestarent, confirmationem privilegiorum politicorum, justitiam, **protectionem** et alia id genus, nulla facta mentione religionis. Sed frustra. Noluerunt acquiescere Austriaci. Volebant retinere confessionem Augustanam, quam habebant. Hic
10 jam disputabatur, quid facto opus esset. Vel enim debebat Imperator permittere quod poscebant, vel amittere suos subditos, qui, nisi postulatis ipsorum satisfaceret, parati erant deficere ad rebelles, et suum haereditarium Principem repudiare. In hac difficultate petebatur consilium à Romanis. Et, si res esset integra, adhuc peteretur.
15 Porro, ut difficultas facilius appareat, obiter explicandus est status rerum, qui tunc erat. Omnes **hae** provinciae, ac nominatim Bohemia, Ungaria, Silesia, Moravia, Lusatia, et superior Austria, aperte rebellabant Ferdinando. Sola Austria inferior (cujus caput Vienna est) parata quidem erat ad rebellionem, sed aperte non rebellabat.
20 Hanc igitur ut conservaret Ferdinandus, petebat a subditis homagium sibi praestari. Illi contra, se non praestituros, nisi permissa confessione Augustana, diserte affirmabant. Si in hoc casu dixisset Imperator, se nolle quicquam permittere in religione, actum erat de tota Austria. Nam inferiores Austriaci palam conspirassent cum superioribus
25 Austriacis, cum Bohemis, Ungaris, Moravis, Silesiis, Lusatiis; et obsessa Vienna, Imperatorem captum in suam rede-gissent potestatem. Hoccine suadendum erat? Certe Germani (quidquid sit de Italis qui procul absunt) non suaserunt.

At Imperator (inquiunt nonnulli) habebat sufficientem exercitum,
30 quo se defenderet; habebat amplissima parata praesidia a Bavaro, Saxone, Spinola. Non ita est. Habebat quidem exercitum, sed imparem

/ exercitui rebellium et ob defectum solutionis prope mutinalem. Nec
ulla externa auxilia erant ad manum. Bavarus procul aberat cum suo
milite, nec poterat venire, nisi pactis cum Badensi et Ansbacensi in-
duciis, quae adhuc erant incertae. Spinola haerebat in Belgio, Saxo
5 in sua provincia. Et adhuc haerent.

In his angustiis nihil erat promptius, quam ut Austriaci vocarent
Bohemos, Ungaros et alios confoederatos in Austriam inferiorem, ad Vi-
ennam obsidendam; et quia Viennae plures Lutherani erant, quam Catho-
lici, nullo negotio potuissent illam in sua habere potestate, Impera-
10 torem capere, Ecclesiasticos expellere, fidem catholicam extirpare. Hoc
advertabant Imperator, Consiliarii, Cardinalis Didrichstain, Legatus Hi-
spanicus, et alii non pauci; ideoque majoris mali vitandi causa, minus
permitti oportere, prudenter arbitrati sunt. Imo Nuncius Apostolicus
diserte mihi affirmavit, se in conscientia idem sentire, sed non aude-
15 re id palam profiteri, ne Roma male audiat. Hoc forte liberius, quam
par est, scribo. Sed veritas urget, cui etiam in Italia locum esse non
dubito. - Quod autem Imperator Lutheranis potius, quam Calvinistis permise-
rit exercitium suae religionis, non illa causa est, quam Illust/ma D.V.
suspicatur; sed aliae, partim communes, partim speciales ac propriae.
20 Communes hae due: I. quod Lutheranismus ex Imperii constitutione a tem-
pore Caroli V. hucusque permissus sit; non Calvinismus. 2. quod Luthera-
ni magis pacifici, Calvinistae sanguinarii ac turbulenti sint. Hae
propriae ac speciales 1. quod Calvinistae in Austria inferiori neque
hactenus habuerint, neque jam petiverint exercitium; Lutherani et ha-
25 buerint et petiverint. 2. quod Calvinistae sint authores rebellionis,
non Lutherani. 3. quod Saxo, qui Lutheranus est, offerat suam operam
ad debellandos Calvinistas.

Haec paucis de materia proposita. Interim humillime rogo Illust^{ma}
D.V. ut in bonam partem interpretetur, quae sincere scribo, et S.C.^{mta-}
30 tis piissima studia suo favore prosequatur. Viennae 8. Augusti 1620.

Illust/mae D.V. / minimus in X^o servus / Martinus Becanus.